

RADULPHUS BRITO ON THE ELENCHI

Jan Pinborg

The informative notice on Radulphus Brito by Ch. Lohr in his *Medieval Latin Aristotle Commentaries*, *Traditio* 28 (1972) 384-89, proves Radulphus to be a very diligent commentator on Aristotle. We know commentaries from his hand on all logical treatises of Aristotle, except on the *Sophistici Elenchi*. This does not mean, however, that he did not comment on the *Elenchi*. In fact Dominicus of Flandern in his commentary on the *De fallaciis* of St. Thomas quotes Radulphus Brito *super Elenchos* on several occasions. Below I transcribe these fragments, in the hope that they will help towards identifying a copy of Radulphus' commentary. The transcription is made from the Ms. Bologna, Archiginnasio A 969.

Fragment 1

f. 28rb (Quaestio 16: Utrum mutando quale quid in hoc aliquid committatur fallacia figurae dictionis):

Sciendum secundo quod quando mutatur quale quid in hoc aliquid propter partialem identitatem duorum in uno tertio et non propter similitudinem modi appellandi, non committitur fallacia figurae dictionis, sed committitur fallacia accidentis, ut dicit Rodulfus Britonis super primo Elenchorum, quia partialis identitas aliquorum (obliquorum - ms.) in uno tertio est causa apparentiae fallaciae accidentis ut infra patebit.

Fragment 2

f. 29rb (qu. 17 utrum fallacia accidentis sit fallacia extra dictionem): Quinto modo accipitur 'per accidens' ut distinguitur contra 'per se' non quidem absolute, sed pro eo quod est extraneum alicui respectu alicuius attributi, sicut dicit Rodulfus Britonis, Sortes accidit homini secundum quod homo stat sub isto attributo species, et animal accidit homini id est extraneum est ei secundum quod stat sub isto attributo genus, et isto modo sumitur accidens in fallacia accidentis.

Fragment 3

f. 31vb (qu. 19: U. fallacia ignorantiae elenchi sit fallacia specialis ab aliis distincta):

Sed in formis absolutis non valet talis processus, ut non sequitur: 'Hoc est album per comparisonem ad illud, ergo est album simpliciter'. Haec autem fallacia maxime attenditur in formis absolutis ut dicit Rodulfus Britonis in primo Elenchorum.

Fragment 4

f. 33vb (qu. 21: U. sit aliqua fallacia consequentis extra dictionem ab aliis distincta):

Quando ergo arguitur a destructione antecedentis, virtualiter arguitur a positione consequentis, propter hoc haec fallacia magis denominatur fallacia consequentis quam fallacia antecedentis. Eiusdem sententiae est Rodulfus super primo Elenchorum.

Fragment 5

f. 34va (qu. 22: U. secundum non-causam ut causam sumatur locus sophisticus sive fallacia extra dictionem ab aliis distincta):

Dubitatur primo utrum solum in syllogismo ad impossibile habet fieri ista fallacia. Ad quod respondet doctor... quod sic...

Sed Aegidius huic sententiae contradicit in primo Elenchorum, ubi dicit quod praedicta sententia stare non potest, quia philosophus in secundo Rhetoricorum (Elenchorum - ms.) plane (plene - ms.) vult secundum non causam ut causam fieri in syllogismis ostensivis, ut hic: 'illud post quod fiunt multa mala est causa malorum. Sed post civitatem factam fiunt multa mala. Ergo talis civitas est causa multorum malorum.' Haec ille.

Rodulfus vero Britonis adhaeret sententiae doctoris sancti et ad rationes Egidii dicit, quod in praedicto exemplo philosophi non sunt praemissae non-causa ad concludendum conclusionem falsam, ut ibi fiat status. Sed ut ex illo falso aliquis persuadatur civitatem esse destruendam, propter hoc quod malum videtur ex eo sequi. Unde ibi realiter licet non expresse sit syllogismus ad impossibile, tamen virtualiter est talis syllogismus. Quae quidem sententia non solum est magis probabilis sed etiam verior.

f. 35va (qu. 23: U. secundum plures interrogationes ut unam sequatur una fallacia extra dictionem ab aliis distincta):

Ad primum dicendum quod realiter eadem est fallacia secundum plures interrogationes ut unam et secundum plures propositiones ut unam, ut dicit Rodulfus Britonis.

Fragment 7

f. 35vb (ibd.):

Attendendum tamen est quod Egidius iterum latrat in hac materia contra doctorem sanctum, ut patet in primo Elenchorum. Dicit enim quod quidam ponunt causam apparentiae huius fallaciae esse unitatem ex parte modi interrogandi, propter quam unitatem interrogatio plures apparet una. Sed ut ipse dicit hoc stare non potest, quia alias ista esset fallacia in dictione et non extra dictionem. Unde concludit quod convenientia rerum interrogatarum est causa apparentiae huius fallaciae, et non unitas ex parte modi interrogandi. Haec ille.

Sed si quis diligenter considerare voluerit sententiam doctoris sancti videbit quod praedicta repugnantia procedit ex falso intellectu opinionis doctoris sancti. Per se enim non vult quod modus interrogandi absolute sumptus sit causa apparentiae, sed in quantum sub uno modo interrogandi plura quaeruntur dicit talem unitatem esse causam apparentiae, quod rationabiliter dicitur, tum primo quia si plura interrogantur secundum plures modos interrogandi nulla erit deceptio ... tum secundo quia philosophus in Elenchis, ut adversarius ibidem confirmat, assignat duos modos huius fallaciae ex modo interrogandi et non ex ipsis (35vb) interrogatis. Unde signum est quod secundum philosophum causa apparentiae huius fallaciae sumitur ex parte modi interrogandi et non ex convenientia rerum interrogatarum, quia alias ubi esset maior convenientia rerum interrogatarum absque convenientia modi interrogandi esset maior causa apparentiae, cuius oppositum iam probatum est. Nec sequitur ratio sua, videlicet quod esset fallacia in dictione, ut ex dictis patet, quia talis causa apparentiae non sumitur ex parte vocis, sed ex parte rei sub voce.

Et huic sententiae doctoris sancti adhaeret Rodulfus Britonis, quae verissima est...